Jahresbericht

über den

Bestand und die Thätigkeit

des

Gouvernements-Gymnasiums

zu Dorpat

im Jahre 1885.

Dorpat.

Druck von C. Mattiesen.

1885.

Дозволено цензурою. — Дерптъ, 14. Декабря 1885 г.

Quaestionum criticarum

de Juli Flori

codice Nazariano

pars altera.

Scripsit

L. Goertz.

Pag. 39. 22 (32. 11) quippe qui captivos pueros puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restitueret (BOH; NI: restituerit).

Sauppius (l. d. p. 9) id quod NI perhibent hac defendit argumentatione: „Quod p. 39. 22 . . . . . „restituerit“ N cum Jordane tuetur, id a consuetudine Flori non alienum esse probant p. 47. 15: cuius tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare iusserit mergi, 112. 28: adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem, 118. 13: adeo certa victoriae spe, ut praedam ante pactione diviserint, 122. 14: ubi cum locis adeo certatum est, ut . . . aegre dux impetraverit veniam,“ ut dubitem num Jahnius recte cum B, quod usitatius etiam apud Florum est, „restitueret“ scripserit.“

At lectio codicum NI exemplis a viro doctissimo laudatis non tam comprobari mihi videntur quam eo, quod legitur p. 47. 30 pop. Rom, . . . duxit triumphum; quippe cuius spectaculo triduum impleverit 63. 25 quippe cum quattuor Pyrrho, tredecim anni Annibali suffecerint, ille . . . restitit, 31. 9 cum monstris pugnatum est, cum . . . serpens castra vexaverit.

Pag 41. 1 (33. 14) tanto, id est omni qua longissima Italia (NO; B: qua longissimum fuit Italiae; I^{bp}H: qua longissima est Italia) solo interiacente.

Halmius, qui lectionem I^{bp} in textum recepit, vehementer erravit, cum (in Fleckeis. annal. v. 69 p. 184) dixit Florum non omittere verbum finitum in enuntiatis relativis („Er selbst (d. h. Jahn) nahm aus N auf: omni qua longissima Italia solo interiacente, eine Lesart, welche allerdings der Wahrheit näher steht als B, aber doch auch noch einen kleinen Fehler enthält, da auch nach des Florus Sprachgebrauch die Copula im Relativsatz nicht fehlen kann cf. p. 61. 17 quo fere tractu Italia mollissima est, p. 67. 10 totam, qua latissima est, Asiam pervagatus“), quod dicendi genus saepe apud nostrum invenitur. cf. p. 6. 18 cuius ex filia Romulus. 13. 2 quippe cui soli glaeba nulla, sed statim hostile pomerium. 19. 23 omnem eum tractum, qua Nar Anio fontesque Velini Hadriano tenus mari . . . vastavit. 32. 20 quibus nomen Aegates. 92. 25 quod non temere alias in civilibus bellis. 95. 9 causa tantae calamitatis eadem quae omnium 101. 23 quod alias numquam.

Quibus exemplis illustratur Jahnium rectissime Nazariani lectionem „qua longissima Italia“ recepisse aptissimam ad Flori dicendi consuetudinem.

Pag. 41. 14 (33. 31) quae quantaque utriusque castra (NO; BIH: utriusque classis castra) facibus inlatis una nocte delevit!

Sermo est de belli Punici secundi fine, quo Hasdrubal et Syphax a Scipione omnino devicti sunt in Africa. Et cum hic mentio non fiat de pugna navali manifestum est vocabulum

„classis“ in BI ante „castra“ traditum aut librariorum incuria aut interpolatione ortum esse, quod cum Jahnius intellegeret codicem N secutus „utriusque castra“ scripsit. At Halmius nimio codicis B fiducia ductus vocabulum „classis“ idem hoc loco valere ac „exercitus“ dixit (in praef. p. X), quem illius vocis usum ne uno quidem exemplo comprobavit. Apparet ergo Jahnio duce integram Nazariani lectionem accipiendam esse.

Pag. 42. 6 (34. 18) rex iam pridem dominantem in Italia Annibalem sibi socium iunxerat (BIOH; N: sibi sociaverat).

Lectio BI „socium iunxerat“ glossematis loco, nisi fallor, adscripta esse videtur ab aliquo, qui Flori librum legit, verbi genuini „sociaverat“ explicandi causa, quod in N servatum in Flori verborum ordinem nescio an recipi debeat, praesertim cum non abhorreat a Flori dicendi genere cf. p. 7. 21 ut in avitas opes pro dote sociarent.

Pag. 43. 10 (35. 19) Macedoniam Asia statim et regem Philippum Antiochus excepit quodam casu, quasi de industria sic adgubernante fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Achaiam, sic ab Achaia (BOH; N: ab Africa in Europam, sic ab Europa) in Asiam ultro se suggerentibus causis imperium (sc. Romanum) procederet. . .

Hoc loco sermo cum sit de orbis terrarum partibus (v. 27 Asiae, v. 29 Europa), ubi illis temporibus pugnatum est, codicis N lectio, quippe quae ab Orosio IV. 20 (pag. 271 Hav.) „L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone consulibus Antiochus, rex Syriae, bellum contra populum Romanum struens, in Europam transiit ex Asia“ comprobetur, propter periodi membrorum aequabilitatem textui inseri debet „quem ad modum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam . . . imperium procederet.“ Etenim Bambergensis lectio interpolatoris glossemate orta esse videtur, qui voce „Achaia“ in margine codicis, unde B manavit, adscripta explicuit, qua in Europae parte bellum inter Romanos et Antiochum gestum sit.

Pag. 45. 24 (37. 24) ipse rex Aepulo equo impositus, cum subinde crapula et capitis errore lapsaret (BOH; N: capitis et iactaret errore lapsaret) captum sese . . . didicit.

Verba genuina in corrupta codicis N lectione inesse mihi videntur, nam intelligi non potest, vox „iactaret“ qua via in textum intrusa sit, cum glossematis verbi „lapsaret“ explicandi causa adscripti speciem non praebeat. Jahnius et Halmius Bambergensem secuti verbum „iactaret“ omiserunt, equidem Salmasio auctore veram lectionem eruendam esse e Nazariano levi emendatione puto: „. . . cum subinde crapula et capitis iactatus errore lapsaret, captum sese . . . . didicit,“ quae verba et perspicua sunt et bene respondent ad huius loci sententiam.

Pag. 47. 27 (39. 11) cum in conspectum venisset hostis (i. e. Perses), in tribunali (BO; N: in templum, H: in tribunal) recepit (sc. Aemilius Paullus) et conviviis adhibuit.

Vocabulum „templum“, quod N exhibet, corruptum esse patet, at ultima syllabu „lum“ suspicionem monet hac in voce librariorum stultitia et incuria mutilata latere id, quod Florus Livium nescio an in bello Macedonico altero narrando secutus scripserit. cf. Liv. XLV. 7: (Paullus) introductum (sc. regem) in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere iussit; Val. Max. p. 221. 7: (Halm) introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere iussit.

TABERNA-
CULUM
T EMP LUM

Quae cum ita sint, Bambergensis lectionem, quippe quae non respondeat fidei historicae, interpolatori tribuens Livio duce „in tabernaculum recepit“ scripserim.

Pag. 49. 3 (40. 14) sed consule Metello (NO; BH: consul Metellus) amissum praetorem plenissime ultus est.

Non recte Halmius cum B „consul Metellus“ scripsit, nam subiectum „populus Romanus“ verbi „ultus est“ adsumi debet e verbis antecedentibus (p. 48. 26 sqq) „dum haec ipsa contemnit populus Romanus . . . superatus est.“ Simile mendum deprehendimus p. 32. 6, ubi BN recte „Appio Claudio consule“, I mendose „Appius Claudius consul“ exhibent.

Pag. 49. 25 (41. 5) populus Romanus adgressus Carthaginem . . . . classem sub ipso ore urbis incendit. tum evocatis principibus, si salvi esse vellent ut migrarent finibus, imperavit (BOH; N: imperatum).

Manifesta inest in codice B interpolatio eo nata, quod librarii, qui non intelligerent, Florum saepissime in periodis componendis constructionem verborum finitorum activam et passivam vicissim adhibere, verbum „imperatum“ non perspicientes, in „imperavit“ mutaverunt.

Illa scriptoris dicendi consuetudine exemplis supra (in huius disputatiunculae parte priore p. IX et p. XII sq. ad Jahn. p. 14. 8 et 20. 1) illustrata, Nazariani lectio, si quid video, reponenda est: „pop. Rom. . . . classem . . . . incendit. tum . . . imperatum.

Pag. 50. 15 (41. 22) hunc (i. e. P. Cornelium Scipionem Aemilianum) Paulo Macedonico procreatum Africani illius magni filius decus (BOH; N: in decus) gentis adsumpserat, hoc scilicet fato ut quam urbem concusserat avus nepos eius everteret.

Verbis „hoc scilicet fato . . . everteret“ cum apertum fiat, Aemilii Paulli filium diis quasi cogentibus adoptatum esse a Scipionis Africani filio, ut gens Cornelia particeps fieret magnae gloriae, quam Africanus Minor Carthagine deleta consecuturus fuit, mendose praepositionem „in“ ante „decus“ omissam esse puto in codice B, ubi verba „decus gentis“ non pendentia e praepositione „in“ non spectant ad Scipionem Aemilianum sed ad Africani Maioris filius, quae verborum consecutio repugnat huius loci sententiae.

At lectionem codicis N „hunc Paulo M. procreatum Africani ilius filius in decus gentis adsumpserat“, quippe quae idem valeat ac „Africani illius filius hunc P. M. procreatum adsumpserat, ut decus gentis (sc. Corneliae) fieret“ et bene respondeat verbis „hoc scilicet fato . . . „everteret“ revocare non dubito, praesertim cum Florus persaepe praepositionem „in“ finali quae dicitur notione cum accusativo coniunctam adhibeat, Cornelii Taciti dicendi consuetudinem imitans. cf. p. 8. 15: cui in honorem virtutis regnum ultro datum. 9. 2: missi in auxilium. 9. 23: quem rex in experimentum rogavit. 14. 8: in regis ultionem tollit animos. 36. 9: hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit. 37. 23: in sacramentum liberata servitia. 39. 10: in ultionem patris ac patrui missus . . . Scipio. 42. 16: aderat sponte in auxilium Attalus. 46. 14: in perpetuam se pacem dediderunt. 50. 6: in usum novae classis tecta domuum resciderunt. 57. 11: in exitium sui . . . concitat. 64. 26: in honorem mortuorum . . . donavit. 76. 19: Caesarem atque Pompeium . . . in exitium rei publicae . . . armavit. 79. 3; cuius in auxilium comparata est. 79. 13: misera res publica in exitium sui merces erat. 94. 14: fortuna . . . ipsum illum in exitium sui armavit. 111. 18: sollicitaverat hostes in auxilium.

Dräger: Hist. Syntax I² p. 658. Kühner: Ausf. Gramm. d. lat. Spr. II. p. 412 sq.

Pag. 50. 22 (41. 30) sed qua nemo illos (i. e. Carthaginienses) nec evadere posse credebat inde quasi nata (OH; B: nota N: enata) subito classis erupit.

Iniuria Jahnium „nata“ coniecisse, quod verbum Halmius recepit, puto, nam participium „enata“, quod N exhibet, maiore est gravitate et aptius ad huius loci sententiam, ubi Poenorum classis a scriptore comparatur cum arboribus vel virgultis repente ex humo enatis. Narratur enim Romanos Carthaginem oppugnantes e portu obstructo non modo navium classem non erupturam sed ne singulos quidem homines evasuros esse existimasse, at magna admiratione defixos esse, cum magna Poenorum classis quasi ex humo enata e portu provenit.

Et participium „enata“ non raro a scriptoribus Latinis adhibitum (Liv. XXXII. 1. 12: laurus in puppi navis longae enata. Tac. ann.: II. 14 enata humo virgulta. Sueton. Aug. c. 94 soboles ex arbore enata. Curtius II. 8 [extr.]: enata medio alveo insula) cum bene respondeat verbis „evadere, erupit“, e Nazariano recipiendum esse videtur.

Pag. 51. 1 (42. 2) quanta urbs (i. e. Carthago) deleta sit, ut de ceteris taceam, de ignis (BOH; N: vel ignium) mora probari potest.

Jahnius et Halmius, viri praeclarissimi, contra usum sermonis Latini et contra Flori dicendi consuetudinem Bambergensis lectionem aperte corruptam cur receperint haud intelligo. In primis enim cum e verbo „probare“ apud scriptores Romanos non pendeat praepositio „de“, sed ablativus causae manifestum fit corruptelam illam ortam esse aut eo, quod librarii oculi aberrabant in prae- VEL IGN. DE IGN... positionem „de“ ante „ceteris“ positam, aut e particula genuina „vel“ recte in Nazariano tradita, quam particulam saepe Florus adhibet cuiusdam rei augendae vel corrigendae causa. cf. p. 39. 16 quam velociter (sc. Scipiones Hispaniam recuperaverint) quattuor anni fatentur; quam facile, vel una civitas probat. 50. 5 qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in usum novae classis tecta domuum resciderunt. 50. 28 utriusque victoriae quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc aestimari potest quod . . . . . 115. 9 quae fuerit Alpinarum gentium feritas facile est vel per mulieres ostendere.

Et hic quidem, ubi noster uno tantum argumento quanta urbs deleta sit comprobat, aptissima est particula „vel“, quippe qua unum illud argumentum firmetur et augeatur.

Deinde et „ignium“ cum N scribi debet, cum plurali numero vocabuli „ignis“, quem non abhorrere a Flori dicendi genere supra (in huius dissertationis parte priore p. XVI sq., ad Jahn p. 33. 20) demonstravimus, multo maiore vi et pondere quantum illud Carthaginis incendium fuerit ante oculos ponatur.

Apparet ergo cum N hoc loco scribendum esse: „quanta urbs deleta sit, ut de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest.“

Pag. 51. 18 (42. 22) hic (i. e. Mummius) alterius ducis Diaei (OH; B: Diaei N: dignitate; Pighius: Diaei late) exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit geminosque portus sanguine infecit.

Nimio codicis B amore ducti Jahnius et Halmius priorem tantum partem coniecturae ingeniose a Pighio factae in textum receperunt et Jahnius quidem mendose in apparatu critico adnotavit Pighium „Diaei“ scribendum coniecisse. Florus enim cum amet adverbium „late“ coniungere cum verbis similem notionem ac „devincere, caedere“ habentibus (p. 34. 22 Illyrii . . . Centimalo duce late domantur, 53. 11 Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque (sc. devicit) nam verbum finitum e verbis antecedentibus adsumi debet), 68. 5 aliquanto latius quam prius Siciliae quoque litora . . . . subito adventu terrere voluerunt, 101. 20 ut latius vinceret Caesar 111. 24 visi Ventidius . . Labieni copias . . . toto inter Orontem et Euphratem sinu late ceci-

disset) Pighius in voce Nazariani corrupta „dignitate“ inesse genuina Flori verba „Diaei late“ suspicatus est. Et recte quidem, nam syllabas „late“ cum librarii non perspicerent, in altera librorum familia omiserunt in altera cum voce „Diaei“ in unum vocabulum „dignitate“ coniunxerunt. Et Pighius quamquam Bambergensem nondum viderat, tamen ingeniosa illa emendatione retenta ita hunc locum restituendum esse puto: „hic alterius ducis Diaei late exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit . . .“ DIAEI LATE DIGNITATE

Pag. 51. 21 (42. 26) quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum incensumque (BOH; N: incensum) atque proiectum est!

Reicienda est lectio Bambergensis librarii negligentia corrupta. Nam hoc loco cum narretur, Corintho deleta quanta copia signorum et tabularum aut rapta aut ablata aut incensa sit participia „raptum“ et „incensum“ minime ita inter se connexa esse patet, ut particula „que“ post „incensum“ posita seiungi debeant a participio „proiectum“, qua quidem conjunctione recepta tardus et impeditus fit verborum ordo. Sed aperta syllabae „que“ particulae sequentis „atque“ dittographia mendosum illud „que“ ortum est. Denique cum eo, quod supra (in huius diss. parte priore p. XII, ad Jahn p. 19. 23) diximus, manifestum sit, Florum saepissime nonnullis vocabulis coniunctis particulas „et, que, atque (ac)“ extremo membro anteponere, cum Nazariano „quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum incensum atque proiectum est!“ hic scribere non dubito.

Pag. 53. 19 (44. 12) fuisset (sc. certamen) et cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli vi (OH; B: belli ut; N: belli) oppressus esset, summae vir astutiae (O; BH: audaciae. N: astutus et audacia), si processisset (BOH; N: si re cessisset), Olyndicus, qui hastam argenteam quatiens quasi caelo missam vaticinanti similis omnium in se mentes converterat sed cum pari temeritate sub nocte castra consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est.

Köhlerus (l. d. p. 24) monuit Jahnii coniecturam „vi“ reiciendam esse ad cod. N fidem ut additamentum supervacaneum et languidum cum „ut“ in B traditum dittographia vocis antecedentis ortum esset.

At in verbis sequentibus Nazariani lectionem „si recessisset (i. e. si retro cessisset)“ non improbo ab omnibus usque ad hoc tempus interpretibus spretam, qua lectione restringi mihi videntur ea, quae antecedunt „summae vir astutiae“. Hanc enim Jahnii coniecturam aptam ad Flori dicendi genus (cf. p. 48. 22: vir ultimae sortis, 53. 25: vir calliditatis acerrimae, 61. 8: vir proceritatis eximiae, 91. 8: vir summae quidem et calamitosae virtutis) et ad huius loci sententiam recipiendam esse puto, nam non intelligo, quid hic valeant verba „summae vir audaciae“ in B tradita, ab Halmio recepta, quoniam Olyndicum hastae fibratione audacem se non praebuisse patet. Et Halmii quidem argumentationem, qua lectionem codicis B (in Fleckeis. ann. v. 69 p. 186) defendit, Köhlerus rectissime refutavit. Quamobrem et in Nazariano vocem „astutus“ interpolatam esse neque Dukeri coniecturam „summus vir astu et audacia“ accipi posse persuasum mihi est, quippe quae verba neque ad „qui hastam . . . . converterat“ neque ad „sed . . . . exceptus est“ spectent. Mihi quidem hic sententiarum ordo in hac periodo inesse videtur: „Olyndicus astutum se praebuit eo quod hasta fibrata mentes permovere sibique conciliare studebat. At summae quidem vir fuisset astutiae, si non incaute in Romanorum castra irrupisset, sed primum retro cessisset, deinde autem Celtiberis re militari institutis signa in Romanos intulisset. Nam temerario illo impetu se suosque perdidit.“ Verba enim „cum pari temeritate . . . castra . . . adisset, . . . exceptus est“

Köhler l. d. p. 25.

Sauppe l. d. p. 14.

Köhler l. d. p. 25.

particula „sed“ opponuntur verbis „summae vir astutiae, si recessisset“, quia Olyndicum tali temeritate in perniciem irrupisse patet quali astutia Celtiberorum animos sibi conciliaverat.

Quibus de causis ita hanc periodum restituerim: „fuisset et cum Celtiberis (sc. certaminum moles), nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summae vir astutiae, si recessisset, Olyndicus, qui . . · . . converterat.“

Pag. 54. 18 (45. 9) Segidenses, socios et consanguineos suos Romanorum manibus elapsos, susceperant (OH; B: susciperant N: exceperant) (sc. Numantini).

Verbum „excipere“ cum eadem notione qua hic adhibitum inveniatur p. 17. 20 „excepisse fugientis unus ex plebe fertur“ et p. 122. 12 „reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancea excepit“, at „suscipere“ Flori dicendi consuetudine non firmetur, codicis lectio „exceperant“ nescio an revocanda sit.

Pag 54. 29 (45. 22) sed non minus Numantini quam Caudini illius foederis flagrans ignominia aut (BOH; N: ac) pudore populus Romanus.

Inepta est particula „aut“, quam Bambergensis exhibet, nam cum sermo hic sit, quibus de causis Romani Numantiam ad internecionem deleverint vocabula synonyma „ignominia, pudor“ artissime inter se connexa particula „aut“ disiungi non possunt. Praeterea Florus quoniam vocabula synonyma particulis „et, que, atque (ac)“ coniungere amat eodem modo quo Cornelius Tacitus (cf. p. 54. 6 per fraudem et insidias, p. 59. 7 pretium foederis atque amicitiae. 59. 23 ops et auxilium. 64. 4; 69. 10 spes ac fiducia. 76. 1 opes atque divitiae. 79. 4 studium ac favor. 80. 19 tumultus ac terror. 92. 21 duces atque signiferi dominationis. 103. 26 ira rabiesque. 118. 68 praesidia atque custodiae. 118. 21 invisus atque inaccessus. 123. 16 unus atque continous), dubium non erit, quiu cum N „ignominia ac pudore“ scribendum sit.

Wölfflin in philologo v. 29 p. 559 sq. Dräger: Synt. u. Stil des Tacitus p. 101.

Pag. 55. 3 (45. 24) duce Scipione Carthaginis incendiis ad excidium (BOH; N: ad excidia) urbium imbuto.

Unice vera esse codicis N lectio mihi videtur „ad excidia urbium“ cum mentione facta non de una tantum urbe, sed de multis urbibus a Romanis dirutis numerus pluralis vocis „exidium“ non abhorreat a Flori dicendi genere. cf. 75. 15 a Carthaginis Corinthi Numantiaeque excidiis, 91. 25 ad urbium excidia.

Dräger: Hist. Syntax 1[2] p. 19 sq.

Pag. 57. 27 (48. 10) quorum in fide et in clientela (BOH; N: in fide et clientela) regnum erat.

Florus duobus vocabulis, quae pendent e praepositione „in“ copula „et“ vel „ac (atque)“ inter se coniunctis cum ante alterum membrum praepositionem repetere non soleat (cf. p. 72. 14 in saltus ac paludes, 72. 19 in silvas et paludes, 75. 16 in Caesarem et Pompeium, 111. 8 in Cassio et Bruto), cum Nazariano „in fide et clientela“ scribendum hic esse videtur. Et recte quidem Jahnius p. 7. 23 cum B „in equis et armis“ scripsit reiecta lectione codicis N „in equis et in armis“.

Pag. 59. 8 (49. 16) sic fraudulentissimus regum fraude gener soceri (BOH; N: fraude soceri) sui in insidias deductus Sullae in manum traditur.

Narratur Jugurtham Sullae traditum esse perfidia Bocchi soceri. Foedum interpolatoris glossema inesse mihi videtur hoc loco in codicis B verbis, nam vocabulo „gener“ ante „soceri“

posito tardus et impeditus fit verborum ordo. Etiamsi „gener“ locum haberet aut ante „fraude“ aut post „soceri sui“, supervacaneum esset additamentum, quoniam per se ipsum intelligitur regem fraude soceri proditum non alium fuisse nisi generum eius, qui prodidit. Equidem vocabulum „gener“ ab aliquo, qui Flori libellum legit, verborum „fraudulentissimus regum“ explicandorum causa in margine adscriptum recte in Nazariano omitti puto, cuius auctoritatem hic sequi debemus, cum verborum illa cumulatio in B minime apta ad elegans Florianum dicendi genus, ferri non possit.

Pag. 62. 1 (51. 35) acie conversa in orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum aere repercusso (OH; B: aere percusso b: aere percussum N: ac repercussu) quasi ardere caelum videretur.

Florus cum persaepe substantiva vel adiectiva synonyma inter se coniungat, ut maiore sermo fiat gravitate, quam dicendi consuetudinem supra (p. VIII ad Jahn. p. 54. 29) exemplis comprobavimus, iniuria editores codicis N lectionem sprevisse mihi videntur. Nam substantivum „repercussus“, quod germanice vertitur „Wiederschein“ (Plin. n. h. V. 5. 5 mons adusto similis aut solis repercussu accensu; ibid. XXXVII. 2. 8 sunt qui maxime in iis (i. e. murrhinis) laudent extremitates et quosdam colorum repercussus, quales in coelesti arcu spectantur), cum dubium non sit quin optime cum vocabulo „splendor“ coniungatur Bambergensis lectionem levi librarii errore ortam esse patet littera C in litteram E mutata, U in O corrupta. Codice N auctore ergo scribendum puto: „. . . ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere caelum videretur.“ ACREPERCUSSU AEREPERCUSSO

Pag. 63. 13 (53. 5) perfidum (BOH; N: per perfidum) glacie flumen equitatur (NOH; B om. haec verba).

Non recte Jahnius et Halmius contra usum sermonis Latini „perfidum“ scripserunt omissa praepositione „per“ codice B auctore, cum neque verbo „equitare“ vis transitiva inesse soleat et apud Florum p. 13. 25 inveniatur „per patrium flumen equitabat“. Nam quod Ernestus Bieligk in dissertatione „de casuum syntaxi a Floro historico usurpata“ Halis Sax. 1883 p. 21 affert Plin. 8. 26. 1 „omnes (sc. camelae) . . . . equitantur in proeliis“ nullius fere momenti est, cum ipse dicat, hunc locum incertum esse.

Quibus de causis codicis B lectione spreta, ubi mendum manifesta syllabae „per“ haplographia ortum esse mihi videtur, cum Nazariano „per perfidum glacie flumen equitatur“ scripserim.

Pag. 66. 3 (55. 2) decus et nomen et titulos gloriae (BOH; N om. „gloriae“) Pompeio suo Fortuna quaerebat.

Substantiva synonyma „nomen et titulos“ cum idem valeant ac „gloriae“, quae vox legitur in B, iterum in hoc codice inesse supervacaneum interpolatoris additamentum videtur, bene in N omissum, quae quidem suspicio eo comprobatur, quod et aliis locis apud nostrum illa vocabula tali modo inter se coniuncta inveniuntur. cf. p. 22. 8 titulo et nomine, 123. 26 nomine et titulo.

Pag. 66. 9 (55. 28) nocturna ea dimicatio fuit et Luna in partibus. quippe commilitans quasi dea cum (O; H: quippe quasi commilitans cum dea B: quippe commilitans cum quasi dea N: quippe quasi commilitans cum) a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset . . . . .

Sermo est de pugna nocturna ad Halyn flumen inter Pompeium et Mithridatem commissa. Apparet particulam „quasi“ pertinere ad participium „commilitans“, quia Luna n o n r e v e r a contra Mithridatis exercitum pugnavit, sed eo quod a tergo hostibus, a facie Romanis se praebuit, quasi a Romanis stare videbatur Deinde non intelligitur, quid sibi velit vox „dea“ a Jahnio et Halmio e Bambergensi in verborum ordinem recepta, nam „Luna“ quin subiectum sit verbi „praebuisset“ nemo dubitabit. Mendosa ergo est codicis B lectio, quam corruptelam tali modo ortum esse persuasum mihi est. Adscriptum erat in vetere Flori codice, unde B manavit, vocabalum „dea“ ab interpolatore substantivi „Luna“ explicandi gratia, quod cum librarius codicis B non perspiceret, particulam „quasi“ transposuit. Quibus de causis revocari debet integra codicis N lectio: „. . . . . Luna in partibus. quippe quasi commilitans cum . . . se . . . . praebuisset.“

Pag 66. 25 (56. 6) (Pompeius) Colchos cecidit, ignovit Hiberiae, pepercit Albanis. regem Colchorum Orhozen, (BOH; N: Oroden), positis sub ipso Caucaso castris iussit in plana descendere, at Arthocen, qui Hiberis imperabat, obsides liberos dare; Horolen (BOH; N: Oroden) etiam muneravit (BOH; N: femuneratus est) ultro ab Albania sua lectum aureum et alia dona mittentem.

Locus aperte corruptus codicis N auxilio sanari potest. Nam qui verba in codice B tradita, a Jahnio et Halmio recepta legerit, non intelliget quo iure Horoles dona ab Albania ad Pompeium miserit, cum mentio non fiat, Horolen Albanorum regem fuisse, postquam in verbis antecedentibus scriptor narravit, Orhozen regem Colchorem fuisse, Arthocen Hiberis imperasse. Atqui cum ceteri scriptores res a Pompeio in oriente gestas narrantes (Appian. Mithr. c. 103 et 117, Cass. Dio XXXVII. 5, Orosius VI. 4, Eutrop. VI. 14) neque de Orhoze neque Orode, C o l c h o r u m r e g e mentionem faciant, sed de Orode vel Oroide, A l b a n o r u m r e g e, loquantur (Appian. Mithr. c. 103 Ὀροιζης ὁ τῶν Ἀλβανῶν βασιλεύς, Cass. Dio XXXVII. 5 Ὀροίσης, Orosius VI. 4 O r o d i s Albanorum regis, Eutrop. VI. 74 Pompeius Albanis bellum intulit et eorum regem O r o d e n . . . .), Appianus vero (in Mithrid. c. 117) dicat, O l t h a c e n, Colchorum regem, in Pompei triumpho ductum esse, facere non possum quin codicis B lectiones „Orhozen“ et „Horolen“ mendosas esse credam. Porro Graevio assentior, qui „Col c h o r u m“ in libris traditum e genuina voce „ h o r u m “ (i. e. Albanorum) ortum esse dicit, nam librarius veteris Flori codicis, cuius oculi in vocabulum „Colchos“ aberrabant, qua erat negligentia „horum“ in „Colchorum“ mutavit. Itaque cum pateat v. 26, ubi B „Orhozen“, N „Oroden“ et v. 28, ubi B „Horolen“, N „Oroden“ perhibent, de uno Albanorum rege sermonem esse, utroque loco cum N „Oroden“ scribere non dubito, quippe quae lectio Orosii et Eutropii testimoniis supra laudatis comprobetur. Denique non recte Jahnium et Halmium e codice B verbum „muneravit“ recepisse puto, cum in lectione codicis N corrupta „femuneratus est“ vestigia lateant genuinae cf. Forcellini s. v. „remunerari“. lectionis „remuneratus est“. Nam verbum „remunerari“ idem valens ac „munus munere pensare, beneficium reddere“ hic ubi narratur, Albanorum regem muneribus ad Pompeium missis praemia ab imperatore Romano accepisse, multo aptius est quam verbum „munerare“.

Quae cum ita sint, tali modo hic locus restitui debet: „(Pompeius) Colchos cecidit, ignovit Hiberiae, pepercit Albanis. regem h o r u m O r o d e n, positis sub ipso Caucaso castris iussit in plana descendere, a Arthocen, qui Hiberis imperabat, obsides liberos dare; O r o d e n etiam r e m u n e r a t u s e s t ultro ab Albania sua lectum aureum et alia dona mittentem“. Quo in verborum

primo particula „etiam“ bene post „Oroden“ ponitur, quoniam iterum de eodem homine scriptor loquitur.

Pag. 67. 23 (56. 36) BOH: ab spoliis N: a spoliis.

Florus cum s e m p e r ante vocales et litteram **h** ponat praepositionem „ab“ (p. 6. 17. 19; 10. 12; 15. 8; 17. 1; 24. 9. 17. 20; 27. 23; 28. 14; 30. 2. 15; 32. 6. 7. 8; 36. 3. 8. 31; 37. 21; 38. 13; 40. 5. 12. 23. 26; 42. 11; 43. 12; 44. 14; 47. 24; 48. 14; 49. 2. 5; 50. 21; 51. 20; 54. 20; 55. 18 58. 29; 60. 8; 62. 8; 63. 8; 64. 9; 66. 28; 70. 5; 71. 3; 73. 19; 74. 13; 76. 14. 16. 21; 80. 25; 81. 21; 83. 25. 26; 85. 24; 88. 25. 29; 89. 23; 92. 8; 94. 4; 95. 3; 96. 20; 97. 8; 100. 20; 102. 9; 104. 24; 108. 10; 112. 6; 113. 1. 3. 15; 115. 1; 121. 12; 123. 14. 18), ante consonantes praepositionem „a“ (p. 5. 2. 21; 6. 4; 10. 19; 17. 7; 18. 17. 24; 19. 9; 23. 16; 24. 24; 25. 5; 26. 8; 27. 14. 31; 30. 6; 31. 5. 18; 32. 6; 36. 14; 37. 14; 38. 2; 39. 14; 40. 9. 12; 41. 15; 42. 5. 17; 43. 3. 22; 44. 1; 47. 6. 8; 48. 9. 13; 49. 26; 50. 29; 51. 11; 52. 12. 15; 54. 4. 21; 55. 20; 57. 12; 58. 11; 59. 17. 19; 61. 21; 63. 22. 24; 64. 2; 65. 4. 22; 66. 10. 11; 68. 29; 70. 3. 10; 72. 24. 27; 74. 18; 75. 14; 76. 3; 79. 7. 13. 18; 80. 12; 82. 9. 25; 84. 18; 85. 17; 86. 3. 18; 87. 15; 88. 17; 89. 12; 92. 22; 93. 22; 94. 8; 96. 19; 97. 25; 98. 10; 99. 18; 100. 28; 101. 5. 6. 7. 24. 25; 103. 26; 106. 18; 109. 27; 114. 1. 4. 21; 117. 8; 120. 14; 121. 22; 122. 4. 9) cum N hoc loco „a spoliis“, p. 76. 6 „a senatu“ (N; BOH: ab senatu), p. 113. 8 „a gladiatore“ (N; B: ad gladiatore OH: ab gladiatore) scribendum esse patet, qua re denuo manifestum fit, Jahnium et Halmium, viros praestantissimos, codicis B lectiones et talibus locis praetulisse, ubi abhorrent a Flori dicendi consuetudine.

Pag. 68. 21 (57. 30) quidquid piratarum fuit quadam indagine inclusum est (OH; B: inclusum et N: inclusum et oppressum est).

Codicis N lectio revocanda est tribus de causis. In primis scriptor verbo „opprimere“ utitur in verbis sequentibus, ubi iterum de piratis a Pompeio inclusis loquitur (v. 23 „non ex fiducia, sed quia o p p r e s s i erant, ausi videbantur“), deinde copula „et“ in Bambergensi post „inclusum“ posita, non recte, si quid video, a Jahnio et Halmio in „est“ mutata, suspicionem movet, librarii negligentia participium „oppressum“ hic intercidisse, denique supra (p. VIII ad J. p. 54. 29) vidimus, persaepe Florum verba synonyma inter se coniungere, cuius dicendi consuetudinis vel alia exempla addiderim. p. 7. 10; 87. 15; 96. 25; 98. 4 pulsus fugatusque, 20. 26 subegit ac domuit, 28. 19 Italia domita subactaque, 48. 11 fusi fugatique, 56. 19 iuncta atque confusa, 56. 27 inusitata et incognita felicitas, 59. 3 aditus arduus inaccessusque, 75. 21 pulchrum ac decorum, 80. 21 nimius et impotens, 105. 20 perculsus et perturbatus, 117. 17 summovere atque differre, 123. 24. sanctius et reverentius.

Pag. 70. 19 (59. 20) sed (BOH; N: et) divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus . . . . . . socii vivique regis confiscationem mandaverit.

Narratur Cyproo divitiis abundante Romanos divitiarum illarum cupidos ducem cum exercitu misisse, qui insulam expugnaret. Alterum igitur enuntiatum cum non opponatur antecedenti, sed asseratur verbis prioribus, coniunctione adversativa „sed“ in B tradita, quippe quae ferri non possit, reiecta e codice N particula coniunctiva „et“ revocanda est, praesertim cum supra in huius diss. parte priore p. XVI (ad Jahn. p. 29. 8) ostenderimus, Florum particula „et“

enuntiata non raro inter se coniungere saepissimeque in codicibus particulas „sed“ et „et“ librariorum incuria permutatas esse.

Pag. 72. 10 (61. 3) super ipsa Romani scuta (sc. Germanorum) salierunt et inde in iugulos gladii (BOH; N: gladiis) descendebant.

Haud intelligo, quam ad vocem spectet vocabulum „gladii“, cum subiectum verbi „descendebant“ nihil aliud esse possit nisi substantivum „Romani“ hoc loco, ubi narretur, quibus armis milites Romani impetum fecerint in barbaros. Dictio enim „in iugulos descendere“ eandem habet notionem ac „comminus ire, manus conserere cum aliquo“ quam etsi a ceteris scriptoribus Romanis adhibitam non inveni. Qua de causa Nazariani lectionem unice veram esse puto, qua recepta haec efficitur sententiarum consecutio: „milites Romani postquam in hostium aciem insiluerunt gladiis adhibitis manus cum illis conseruerunt.“

Florum in hac pugna describenda Caesarem (in bello Gall. I. 52) secutum esse Spengelius in commentatione de Flori libro scripta (p. 24 sq. adn.) luculentissime demonstravit.

Pag. 72. 23 (61. 18) classe igitur comparata Britanniam transit (BOH; N: B r i t a n n i a m p e t i t in Britanniam transit) mira celeritate.

In codice N genuina inesse Flori verba mihi videntur, etsi glossemate aperto foedata. Non intelligitur enim, quo modo lectio „Britanniam petit“ in verborum ordinem subrepserit, cum verbum „petere“ non saepe a scriptoribus Romanis adhibeatur pro verbis „transire, transgredi“ talibus locis, quibus narratur, hominem quendam per mare in aliam terram navibus transvectum esse, qua de causa fieri non potuit, ut verba „Britanniam petit“ verborum „in Britanniam transit“ explicandorum gratia adscriberentur. Equidem lectionem „Britanniam petit“ genuinam esse puto, quae non abhorret a Flori dicendi consuetudine (cf. p. 61. 16 si statim infesto agmine u r b e m p e t i s s e n t, 94. 5 signis p a t r i a m p e t e n s, 110. 27 perditis enim rebus profugit A s i a m-que velis p e t i t), glossemate „in Britanniam transit“, in vetere Flori codice adscripto, explicatam.

Quod quidem glossema in codicem B subrepsit praepositione „in“ perperam omissa, genuina Flori verba a stulto codicis B librario neglecta sunt. Etenim praepositionem „in“ p e r p e r a m a librario codicis B omissam esse eo manifestum fit, quod verbum „transire“ non cum uno accusativo „Britanniam“ sed cum accusativo pendenti e praepositione „in“ coniungi debuit („in Britanniam“) hoc loco, ubi sermo non est, Caesarem p e r B r i t a n n i a m in aliam terram, sed per mare i n B r i t a n n i a m ipsam navibus transvectum esse narratur. Halmius autem, qui (in praef. p. XIV) dixit, recte in codice B scriptum esse „Britanniam transit“ omissa praepositione „in“, cum p. 67. 2 (O.) (56. 11 H.) („Libanum Syriae Damascumque transgressus“) e participio „transgressus“ penderet accusativus, vehementer erravit. Nam p. 67. 2 narratur, Pompeium Libanum montem transgressum Damascum in urbem profectum esse. Et „montem, flumen transgredi“ quin sit verborum constructio apta ad usum sermonis Latini nemo dubitabit, sed ante „Damascum“ propter orationis quandam brevitatem praepositionem „in“ omissam esse patet, qua brevitate si scriptor p. 72. 23 ante „Britanniam“ usus esset, ubi in verbis antecedentibus sermo non est de monte aut flumine, magnum commisisset errorem, quem ut illi imputarem ab animo meo impetrare non potui.

Kühner: Lat. Gr. II. p. 201.

Ita ergo hunc locum Nazariano duce restituendum esse persuasum mihi est: „classe igitur comparata B r i t a n n i a m p e t i t mira celeritate.“

Pag. 74. 12 (62. 32) (Crassus) cum apud Nicephorium castra posuisset, missi ab Herode (BO; NH: Orode) rege legati nuntiavere, percussorum cum Pompeio foederum Sullaque meminisset.

Recte Halmius Nazarianum secutus „Orode“ scripsit reiecta Bambergensis lectione „Herode“, cum ceteri scriptores bellum Parthicum a Crasso gestum narrantes (Cass. Dio XL. 16 Ὀρώδης, Vell. Paterc. II. 46, Oros. VI. 13, Eutrop. VI. 18), Parthorum regi Crasso primum nuntios obviam mittenti, ut foedus a Pompeio Sullaque cum Parthis ictum servaretur, deinde cum Crassus foedus servare nollet, Romanum exercitum ad internecionem delenti nomen fuisse O r o d i tradant.

Tali modo et v. 19 et 22 Parthorum nomina in codice B mendose tradita contra Jahnii et Halmii auctoritatem codice N adhibito corrigenda sunt. In versu 19 enim sermo est de transfuga Parthico simulato, quo duce Crassus in perniciem irruit, ubi B „Mazarae Syro creditur“ (OH), N „M a z z a r a Syro creditur“ exhibent. Atqui Rufus Festus in breviario rerum gest. p. R. c. 17, qui Florum hoc loco fere ad verbum transscripsit, cum dicat „(Crassus) a transfuga quodam M a z z a r o inductus .....“ codicis N lectio leviter aut in „Mazzaro“ aut in „Mazzarae“ mutari debet.

Denique v. 22 Orodis regis praefecti, a quibus Crassus ad Carrhas devictus est, in B „Silenas et Sirenas“ (OH). in N „Silenas et S y r e n a s“ nominantur. Ceteri scriptores autem (Cass. Dio XL. 16, Oros. VI. 13, Eutrop. VI. 18, Rufus Festus c. 17) alterum legatum Surenam appellant, quibus ducibus id quod exstat in N „Syrenas“ levi manu in „Surenas“ emendandum esse videtur.

Pag. 74. 25 (63. 10) sic miserabili strage deletus exercitus. ipse (sc. Crassus) in colloquium sollicitatus signo dato vivus hostium manus (BO; N: in hostium manus Halmius praef. p. XIV. H: hostium in manus) incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit. (OH verba „sic ..... fuit“ uncinis circumdant.) filium ducis paene in conspectu patris idem telis operuerunt. reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam Ciliciam Syriamque distractae, vix nuntium cladis retulerunt. caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exangue corpus ureretur.“

Jahnius verba „sic quoque ... fuit“ qua de causa uncinis circumdedisset his verbis in praef. p. XX dixit: „nullam equidem causam invenire possum cur de hac contumelia bis referatur eisdem fere verbis intra tam parvum spatium repetitis. quod ultimo capite legitur praeterquam quod accuratius rem enarrat etiam Jordanis auctoritate tutum est. reliquum igitur est, ut quod priore loco legitur ab eo interpositum esse credamus, qui quid de mortuo Crasso factum sit statim narrationi de morte eius subiungendum putavit idque breviter indicavit. quae verba ubi deleta sunt, id quoque consequimur, ut longe aptius quadrent quae de Crassi filio narrantur.“

Köhlerus autem (l. d. p. 28 sqq) Livio in epit. 106, Orosio VI. 13 (p. 413 Haverc.), Plutarcho in Crassi vita c. 25 sq auctoribus, qui narrant P. Crassum filium proelio, M. Crassum patrem postea in colloquio occisum esse, ita Flori verba ordinanda esse putavit servato illo enuntiato, quem Jahnius et Halmius deleverunt: „sic miserabili strage deletus exercitus. filium ducis paene in conspectu patris idem (i. e. Parthi) telis operuerunt. sic quoque relatum caput ludibrio

hostibus fuit, ipse in colloquium sollicitatus . . . . occupassent. reliquiae infelicis exercitus . . . . ureretur." Et P. Crassum quidem ante patrem ab hostibus interfectum esse a Valerio Max. (p. 33. 16 sq) comprobatur „optimae indolis filii cruore paterni respersi oculi."

At quamquam Köhlerum bene illa enuntiata transposuisse persuasum mihi est, tamen in eo haereo, quod in verbis sequentibus „reliquiae . . . . . ureretur", quae Köhlerus intacta reliquit, enuntiatum „caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit" minime aptum est ad verba „reliquiae infelicis exercitus . . . . retulerunt", quibus narratur, quae sors fuerit reliquiarum exercitus Romani, neque intelligi potest, quo spectet pronomen „eius". Atqui Rufus Festus in breviario c. 17 ita Crassi cladem narrat: „ipse Crassus cum ad colloquium sollicitatus vivus paene capi posset, repugnantibus tribunis evaserat et fugam petens occisus est. caput eius cum dextera manu resectum ad regem perlatum est atque ita ludibrio habitum, ut faucibus eius aurum liquefactum infunderetur: scilicet qui ardens cupiditate praedandi pacem regi dare rogatus abnuerat, etiam mortui eius reliquias auri flamma combureret. Gaius (?) Cassius, quaestor Crassi, vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus."

Qua narratione comparata apparet Festum eundem fontem secutum esse ac Florum, fortasse Livi librum CVI, cuius brevis tantum epitoma servata est. Etenim Florus et Festus narrant in primis quo tempore et qua via Crassus ab hostibus interfectus sit, deinde quae fuerit reliquiarum exercitus Romani sors et apud Festum quidem nomen quaestoris invenitur, qui reliquias illas collegit, a Floro non traditum, qua re manifestum fit Festum hoc loco non unum Florum adhibuisse in proelio ad Carrhas facto enarrando. At cum uterque scriptor de exercitu Romanorum devicto loquatur, Festo duce Flori verba ad genuinum ordinem revocari posse credo: „sic miserabili strage deletus exercitus. filium ducis paene in conspectu patris idem telis operuerunt. sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit. ipse (i. e. Crassus) in colloquium sollicitatus, signo dato vivus hostium in manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exangue corpus auro ureretur. reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam Ciliciam Syriamque distractae, vix nuntium cladis retulerunt."

Quo verborum ordine recepto haec efficitur sententiarum consecutio: primum narratur, exercitum Romanum omnino devictum esse, deinde quae fuerit sors P. Crassi, tum quo modo M. Crassus pater interfectus sit, denique quas in regiones exercitus Romanus ducibus interfectis sese receperit et qua via nuntius magnae huius cladis Romam pervenerit.

Pag. 76. 10 (64. 21) adversum (BOH; N: adversus) dominos suos.

Florus cum semper praepositione „adversus" utatur (p. 12. 19. 27; 15. 21; 26. 7; 37. 1; 38. 3; 43. 23; 49. 17; 58. 9; 59. 22; 95. 14; 97. 18; 98. 27; 100. 11; 114. 27; 121. 14) et p. 83. 1, ubi tituli loco in B verba „bellum adversum socios", in N verba „bellum, quod adversus socios gestum est" exstant, manifesto librarii codicis B errore „adversum" scriptum sit, quod Jahnius in praef. p. XXXVI luculentissime demonstravit, dubium non erit, quin p. 76. 10 e codice N praepositio „adversus" revocanda sit.

Pag. 84. 15 (71. 6) primum servile bellum inter initia libertatis (O; B: in Italia urbis,

NH: inter initia urbis) Herdonio duce Sabino (BOH; N: Sabino duce) in ipsa urbe temptatum est.

Recte Halmium cum N „inter initia urbis" scripsisse Köhlerus (p. 32 sq.) demonstravit, at perperam Jahnium et Halmium codicis N lectionem „Herdonio Sabino duce" sprevisse persuasum mihi est. Nam scriptor cum narret, Herdonium Sabinum primis rei publicae temporibus ducem fuisse servorum impetum in Capitolium facientium (cf. Liv. III. 15 „exules servique .... duce Appio Herdonio Sabino nocte Capitolium atque arcem occupavere"), adiectivum „Sabino" non spectare ad appositionem „duce" patet sed ad nomen proprium „Herdonio". Etenim magni est momenti, auctor primi belli servilis Sabinusne fuerit an ex alia gente exstiterit. Qua de causa Nazariano priores hoc loco tribuerim.

Pag. 85. 7 (71. 26) (Eunus) castella vicos oppida miserabili direptione vastavit. quid? (BOH; N: quin) illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt castra praetorum ...

Narratur servos contra rem publicam Romanam concitatos primum ergastulis refractis magnum exercitum convocasse, tum oppida et castella vastasse, denique castra ipsa Romana expugnasse. Quo in periodo inesse gradationem rhetoricam cum appareat, eo quod supra (in huius diss. parte priore p. XIII ad Jahn. p. 21. 24) de particula „quin" idem valenti ac „immo, immo etiam" et de gradationibus rhetoricis apud Florum usitatissimis locuti sumus manifestum fit, ad codicis N fidem hoc loco „quin illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt etc." scribendum esse.

Pag. 86. 15 (72. 31) BH: decem milia amplius NO: decem amplius milia.

Halmius hoc loco et p. 76. 11 H (90. 12. O) (BH: septuaginta milia amplius NO: septuaginta amplius milia) codicis B lectiones recepit; quamquam ipse in praef. p. XV monuit, p. 71. 23 H (85. 5. O) („sexaginta amplius milium"), 84. 7 H (99. 5. O) („trecenta amplius milia"), 95. 23 H (111. 25. O) („viginti amplius milium") adverbium „amplius" interponi duobus membris quibuscum coniunctum esset. Equidem nonnulla exempla addiderim, quibus comprobatur, recte Jahnium p. 86. 15 et 90. 12 Nazariani lectiones praetulisse. cf. p. 31. 6 trecenta amplius castella, 65. 24 centum amplius navium, 113. 26 quadringentae amplius naves, 118. 20 quinquaginta amplius castella.

Pag. 87. 10 (73. 18) (Spartacus) in Apennino Lentuli exercitum cecidit (BOH; N: percaecidit), apud Mutinam P. Cassi (BOH; N: Gai Cassi) castra delevit.

Florus cum amet ubi de exercitibus omnino devictis seu de populis perfecte subactis loquitur, verborum vim praeposito „per" augere (cf. p. 97. 3 victos terra marique perdomuit, 115. 20 terga hostium percecidit, 116. 11 Augustus perdomandos Vibio mandat, 117. 8 a Pisone perdomiti in ipsa captivitate rabiem ostendere) Nazariani lectio leviter in „percecidit" mutata revocari debet. Et porro id quod in codice N exstat „Gai Cassi" a Livio in epit. XCVI („C. Cassius proconsul et Cn. Manlius praetor male adversus Spartacum pugnaverunt") et ab Orosio V. 24 (p. 360 Hav.) („C. Cassium proconsulem idem Spartacus oppressum bello interfecit") comprobatur.

lege Köhleri comm. p. 42.

Pag. 87. 19 (73. 29) BOH: digna viris obiere morte N; dignam viris obiere mortem.

E verbo „obire" cum semper apud scriptores Latinos pendeat accusativus (Dräger in synt. hist. I² p. 379: „unter den mit ob zusammengesetzten Verbis sind obire und obsidere in

allen Zeitaltern transitiv gebraucht, sowohl in eigentlicher als in tropischer Bedeutung und auch als persönlich konstruierte Passiva", Kühner, gramm. lat II. p. 200), haud intellego cur Jahnius et Halmius contra usum sermonis Latini codicis B lectionem receperint, praesertim cum id quod Nazarianus exhibet unice verum esse pateat.

Pag. 90. 3 (75. 38) quantum funerum in foro, in circo, in penetralibus (OH; B: penitentibus N: patentibus) templis?

Jahnii coniecturam „penetralibus" prorsus reiciendam esse puto, quia vir doctissimus ne ullo quidem exemplo evicit „templa penetralia" idem valere ac „templorum adyta", de quibus sermo est hoc loco. At bona codicis N lectione „patentibus templis", a qua prope abest id quod exstat in Bambergensi „penitentibus templis", recepta haec efficitur sententiarum consecutio: „C. Marius Minor et Carbo cum Romam urbem caedibus implerent multi homines in templa fugiebant, ubi tutos se fore sperabant diis adiuvantibus. Et magna hominum vi illuc petente, templa semper patebant, praesertim cum templorum portas claudere fugitivi necessarium non haberent, ne suspicantes quidem sectores et sicarios in deorum aedes prorumpere ausuros." Et frequentia illa quidem hominum procurrentium in templa Nazariani lectione bene depingitur. Similiter horribilem illam Romanorum civium caedem Plutarchus in Sullae vita c. 31 narrat: *καὶ φονευομένων οὔτε ναὸς ἦν καθαρὸς θεοῦ οὔτε ἑστία ξένιος οὔτε οἶκος πατρῷος.*

Pag. 91. 5 (76. 34) bellum Sertorianum quid amplius (BOH; N: aliud) quam Sullanae proscriptionis hereditas fuit?

Florus cum adverbium „amplius" non ita cum pronominibus interrogativis coniungere soleat, ut hoc loco in Bambergensi adhibitum inveniatur (omnes hic adnotabo locos, quibus „amplius" apud nostrum invenitur: p. 23. 9; 31. 6; 32. 2 sq; 35. 3; 42. 5; 64. 25; 65. 24; 68. 24; 69. 4. 24; 85. 5; 86. 15; 90. 12; 93. 19; 99. 5; 113. 26; 114. 5; 111. 25; 118. 20) et codicis N lectio respondeat ad Flori dicendi consuetudinem (cf. p. 18. 21 incendium illud quid egit aliud, nisi ut....?, p. 31. 25 immo his omnibus admirabilior quid aliud quam victor de victoribus.... triumphavit? 92. 12 qui supererant.... quid aliud quam ad bellum vocabantur?), dubium non erit., quin cum N „quid aliud quam" scribi debeat. Quibus de causis et p. 103. 8 Nazariani verba „cum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent" revocanda, Bambergensis verba „.... nihil amplius quam occiderent", a Jahnio et Halmio recepta, reicienda sunt.

Pag. 94. 12 (79. 28) iam toto orbe paene pacato (BOH; N: iam paene toto orbe pacato) maius erat imperium Romanum, quam ut ullis exteris viribus opprimi posset.

Bellis Romanorum externis et internis enarratis hoc in capite magnum bellum civile inter Pompeium et Caesarem gestum iis verbis asseritur, quae hic perscripsi. Atqui in codicis B lectione dubitatio relinquitur, utrum particula „paene" spectet ad verba „toto orbe" an ad participium „pacato", quamquam non pertinere potest nisi ad verba „toto orbe", quia in reliqua Flori libri parte narratur, quibuscum populis Romani post illa multa civilia et externa bella pugnaverint. Neque enim hoc loco sermo est, totum orbem terrarum paene pacatum fuisse eo tempore, quo Pompeius et Caesar inter se pugnare coeperunt, sed plane dicitur, maiorem orbis terrarum partem ante initium belli civilis omnino devictam fuisse, ita ut minor tantum orbis pars restaret, quae

subiceretur, quod quidem plane et perspicue codicis N verbis „iam paene toto orbe pacato“ exprimitur, quae revocanda esse persuasum habeo. cf. p. 121. 2 pacata erat fere omnis Hispania.

Pag 94. 17 (79. 35) Caesaris furor atque Pompei urbem Italiam gentes nationes, totum qua patebat (OH; B: totumque potibat N: totum denique qua patebat) imperium quodam quasi diluvio et inflammatione corripuit.

Florus cum amet nonnullis periodi membris asyndetice inter se coniunctis postremum membrum prioribus particula „denique“ subiungere (p. 93. 5 senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere aerarium, totam d e n i q u e rem publicam funditus tollere, 106. 9 (Antonius) lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem Juliae gentis inhibere, d e n i q u e ad opprimendum iuvenem palam arma moliri), et hoc loco ad codicis N fidem in ultimo periodi membro particulam „denique“ interponere verbis non dubito, quam Jahnius et Halmius propter mimiam codicis B fiduciam contra Flori consuetudinem omiserunt.

Pag. 95. 15 (80. 28) Cato adversus potentes semper obliquus detractare Pompeio (BOH; N: Pompeium) actisque eius obstrepere.

E verbo „detrectare“ cum apud scriptores Latinos a c c u s a t i v u s pendere soleat (Drägerus in synt. hist. I² p· 403 sqq., Kühnerus in gramm. Lat. II p. 227. 2 inter verba intransitiva pendentia e dativo de verbo „detrectare“ mentionem n o n faciunt) codicis B lectione „Pompeio“ abhorrenti ab usu sermonis Latini reiecta cum N „detrectare Pompeium“ scripserium, praesertim cum p. 110. 18 legantur in Bambergensi verba „detrectare coepit foederis p a c t u m“, quae verba in Nazariano omittuntur.

Forcellini s.v. „detrectare“, cf. Bieligk l. l. p. 12.

Pag. 96. 6 (81. 15) ut daretur (BOH; N omittit haec verba) consulatus absenti, quem decem tribuni favente Pompeio nuper decreverant, dissimulante eodem negabatur.

E verbo „negare“, interdum idem valenti ac „recusare, abnuere, renuere, *ἀπειπεῖν*“ cum apud scriptores Romanos pendere soleat dativus personae et accusativus rei aut accusativus cum infinitivo, codicis B lectionem „ut daretur consulatus . . . . negabatur“ repugnare usui sermonis Latini patet. At codice N duce verbis „ut daretur“ deletis, quae foedum interpolatoris glossema esse mihi videntur, qualia inepta additamenta non raro in Bambergensi inveniuntur (cf. supra in huius comm. parte pr. p. XV ad Jahn. p. 27. 27), apta et concinna fit verborum consecutio „consulatus absenti . . . . . . negabatur“. cf. Caes. b. G. V. 6. 4 posteaquam id obstinate sibi negari vidit . . . Ovid trist. V. 8. 13 negare alimenta miseris.

Kühner: Lat. Gr. II. p. 510 c.

Pag. 98. 26 (83. 35) (Caesar) cum Oricum et Gonphos (BO; NH: Gomphos) et alia castella Thessaliae vastaret.

Recte Halmius cum N „Gomphos“ scripsit, quippe quae lectio a Caesare in b. civ. III. 80 „Caesar G o m p h o s pervenit“, et a Plutarcho in Caesaris vita c. 41 „*ιώς δὲ (Καῖσαρ) εῖλε Γ ό μ φ ο υ ς, θεσσαλιxὴν πόλιν*“ comprobetur.

Pag. 98. 27 (83. 37) Pompeius adversus haec nectere moras, tergiversari, sic (BOH; N: simul ut) hostem interclusum undique inopia commeatuum terere, usque dum ardentissimi ducis consenesceret impetus.

Narratur, qua ratione Pompeius Caesarem prohibuerit apertam pugnam inire. Et cum tribus enuntiati membris res a Pompeio gestae significentur, non intelligitur, quid valeat particula „sic“ ante tertium membrum in codice B posita, quippe quae neque tria illa membra coniungere neque ad coniunctionem „dum“ pertinere possit firmatam particula „usque“.

Mihi quidem codicis N lectio „simul ut“ levi manu mutanda esse videtur in „simul et“, quibus vocabulis tertium membrum bene asseritur ad id quod antecedit, aptissime ad Flori sermonem, qui non raro particulis „simul et, simul atque (ac)“ simili modo utitur. cf. p. 23. 7 quorum (i. e. elephantorum) cum magnitudine tum deformitate et novo odore s i m u l a c stridore consternati equi, 56. 19 quae etsi iuncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, s i m u l e t ne scelera virtutibus obstrepant, separatim referentur (sic Halmio praef. p. XII init. auctore scribi debet pro „perferentur“ in BN et „proferentur“ in codd. recc.), 64. 8 in lassos s i m u l a t q u e districtos subitus turbo Pontici belli . . . erupit, 103. 22 dux . . . quasi in fugientes et iam victos (?) s i m u l e t suorum erexit animos et hostis perculit.

Pag. 101. 24 (86. 24) et primum (BOH; N om.) strages a Juba coepit.

Scriptor postquam Caesaris et Pompeianorum opes in bello Africano gerendo enumeravit ad pugnas ipsas describendas transit. In codice B cum subiungatur vocabulis „et primum“ id quod sequitur, exspectare debemus, ut in ceteris periodi colis particulae „mox, tum, deinde, denique“ inveniantur, quibus Florus periodorum membra distribuere solet antecedente adverbio „primum, primo“ seu adiectivo „primus“ (cf. p. 12. 27 populus Rom. p r i m a adversus exteros arma pro libertate corripuit, m o x pro finibus, d e i n d e pro sociis, t u m gloria et imperio, 45. 4 p r i m u m trepidatio, m o x fuga, d e i n d e triumphus fuerunt, 51. 20 civitas direpta p r i m u m, d e i n d e deleta est, 61. 26 p r i m u m nebulosum nanctus diem . . . , t u m ventosum quoque . . . , t u m acie conversa . . . , 64. 22 p r i m u m que Athenas urbem . . . . compulit, m o x subrutus Piraei portus, 85. 4 hoc miraculum p r i m o duo milia ex obviis, m o x . . . . fecit exercitum, 88. 5 p r i m u m levi et modico tumultu . . . , m o x atrocius et cruentius . . . grassante victoria, ultimo . . . . , 93. 2; 111. 12; 113. 2). At particulis illis deficientibus in iis quae sequuntur quoniam manifestum est adverbio „primum“ nihil aliud nisi initium proelii significari, prorsus inepte dictum esse mihi videtur „primum coepit“ pro uno verbo „coepit“, qua de causa verbis „et primum“ deletis ab interpolatore interpositis cum Nazariano genuina Flori verba „strages a Juba coepit“ scribenda sunt.

De ineptiis talibus cod. B additamen lege huius comm. part pr. p. XV.

Pag. 106. 1 (90. 18) civilibus externis servilibus (BOH; N om. „externis servilibus“) terrestribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum est.

Spengelius (l. d. p. 6) et Köhlerus (l. d. p. 37) adiectivum „servilibus“ cum N inducendum esse putant, cum de bellis servilibus in iis, quae sequuntur, mentio non fiat. At viris doctissimis non assentior, nam praeterquam quod et adiectivum „externis“ bene in codice B servatum, omittitur in Nazariano, vox „servilibus“ consilio a scriptore positum esse mihi videtur spectans ad bellum ab Octaviano cum Sex. Pompeio gestum, in quo servos contra Octavianum pugnasse Florus his verbis narrat (p. 109. 25): „alter iuvenum (i. e. Sex. Pompeius) c u m i n s u p e r e r g a s t u l a a r m a s s e t, Siciliam Sardiniamque habebat.“ Quae cum ita sint, verba „externis servilibus“ librarii negligentia in codice N omissa Jahnio et Halmio auctoribus e Bambergensi recipienda sunt.

Pag. 107. 20 (91. 33) nam (BOH; N om.) Romae capita caesorum proponere in rostris iam usitatum erat.

Coniunctio „nam“ recte omissa in codice N, adscripta est in Bambergensi eiusve fonte ab interpolatore, nam hoc enuntiato accuratius non explicantur verba antecedentia, in quibus narratur Antonium et Lepidum ad id sceleris provectos esse, ut affines suos proscriberent, sed asyndetice (cf. huius diss. part. pr. p. XVII sq ad Jahn. p. 39. 1) enuntiata alterum alteri opponuntur: „quis pro indignitate ingemiscat, cum Antonius Lucium Caesarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paulum fratrem suum proscripserint? Romae capita caesorum . . . . .“

Pag. 108. 19 (92. 28) adsuetae cadaverum pabulo volucres castra (NO; BH om. „castra“) quasi iam sua circumvolabant.

Rectissime Jahnius Nazariani lectionem recepit, nam praeterquam quod in verbis ab Halmio probatis non perspicitur quo spectet pronomen „sua“, vocabulum „castra“ a Plutarcho in Bruti vita c. 39 „ἔτι δ᾽ ὄρνεά τε σαρκοφάγα πολλὰ καθ᾽ ἡμέραν ἐ π ε φ α ί ν ε τ ο τῷ σ τ ρ α τ ο π έ δ ῳ . . . .“ comprobatur.

Pag. 111. 15 (95. 12) (Parthi) populi Romani discordias laeti acceperant. regi (BOH; N om. „regi“) itaque ut prima adfulsit occasio, non dubitaverunt erumpere.

Verbo „dubitaverunt“ cum manifestum fiat, sermonem hic esse non de uno Parthorum rege, sed de Parthorum populo, et in verbis sequentibus (v. 19) demum mentio fiat de Pacoro r e g i o i u v e n e, quo duce Parthi Antonii praesidia dispulerint, nemo dubitabit, quin cum Florus hoc loco de rege Parthorum non cogitaverit codice N auctore scribendum sit „itaque ut prima adfulsit occasio (sc. Parthis), non dubitaverunt erumpere.“ Rursus ergo in Bambergensi ineptum interpolatoris additamentum deprehendimus. cf. huius comm. part. pr. p. XV.

Pag. 113. 10 (96. 38) Narratur Antonium a Parthis devictum in Syria tam ferocem et superbum se gessisse, quasi Parthos omnino subegisset, his verbis: „(Antonius) perfugit in Syriam, ubi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset, quia (BOH; N: qui) evaserat.“ Equidem haud intelligo, quid hic valeat coniunctio causalis „quia“ in B tradita, cum verbis posterioribus scriptor dicat, turpiter Antonium e Parthorum regione aufugisse, causa non subiuncta, qua commotus Antonius ferocem se gesserit. Quis ergo dubitet, quin nihil aliud ante „evaserat“ exspectari possit nisi pronomen relativum „qui“, e quo pendeant verba „vicisset“ et „evaserat“, quod pronomen cum in N inveniatur, textui inseri debet, quo quidem recepto hic efficitur perspicuus et perlucidus verborum ordo: „. . . ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset (is), qui evaserat.“

Pag. 116. 19 (99. 27) unus ducum ante aciem postulato silentio „qui vos estis?“ inquit (BOH; N: „qui vos“ inquit „estis?“)

Verbum „inquit“ quoniam semper apud Florum (p. 9. 25 „atquin hoc“ inquit „agitabam, an cotem illam secare novacula possem,“ 13. 21 „en, ut scias“ inquit „quem virum effugeris“, 24. 16 „o me“ inquit „plane procreatum . . .“, 35. 21 „quae“ inquit „mora est“, 41. 6 „agnosco“ inquit „felicitatem Carthaginis“, 61. 3 „si viri estis“ inquit „en, illic habetis“, 74. 2 „habe“ inquit „fortem virum, vir fortissime, vicisti“, 110. 13 „hae sunt“ inquit „carinae meae“) ceterosque scriptores Romanos interponatur vocabulis in oratione quae dicitur directa positis, cum N: „qui vos“ inquit „estis“ scribendum puto. Kühner: Lat. Gr. II. p 1026.

Pag. 121. 15 (103. 21) Orosius VI. 21 (p. 444 Hav.), quo in rebus Romanis narrandis saepe Florum usum esse constat, cum dicat, monti, quo Cantabri a Romanis devicti se recepissent, Vinnio nomen fuisse, non intelligitur, cur Jahnius et Halmius „Vindium montem" scripserint, quamquam N „Vinnium m." exhibet, a quo prope abest id quod in B prima manu „Vi . . niu" et altera manu „Vi . . nivium" scriptum est. At nominis „Vindium" vestigia in neutro codice inveniuntur.

Pag. 122. 22 (104. 23) circumcirca (?) omnis aurifera est et (OH; B: auriferae et N: aurifera et) chrysocollae miniique et aliorum colorum ferax.

Florus cum amet verba finita omittere (quae de re supra in huius comm. parte pr. p. VII sq. ad Jahn. p. 9. 1 diximus) non recte Jahnium codicum lectiones mutasse patet, nam in codice B vox „auriferae" vocabuli sequentis „et" literae „e" dittographia orta est neque suspicionem movet ante „et" in archetypo „est" scriptum fuisse. Cum Nazariano igitur scribi debet: „. . omnis (sc. regio) aurifera et chrysocollae miniique et aliorum colorum ferax." cf. p. 6. 3 hic iam ipsa iuventas imperii et robusta maturitas. 48. 21 causa belli prope erubescenda. 65. 24 nec felicior in mari quam in terra fuga. 111. 2 nec alia post Xerxen miserabilior fuga.

In nova Juli Flori editione critica facienda magna ergo tribuenda erit auctoritas, si quid video, codici Nazariano ab editoribus recentioribus nimis neglecto et animus convertendus in nonnullos Flori codices, de quibus Aemilius Baehrens in museo Rhenano v. XXX p. 629 sq mentionem fecit his verbis: „Je mehr man anfängt die Lesarten beider Klassen prüfend gegen einander abzuwägen, um so mehr sollte man darauf bedacht sein zu untersuchen, ob denn das von Jahn für die zweite Klasse gegebene kritische Fundament ein sicheres und genügendes ist. Der Nazarianus leidet ja offenbar an vielen und starken Verderbnissen, welche nicht der Ueberlieferung seiner Klasse, sondern seinem Schreiber zuzuweisen sind. Es muss also die Aufgabe dessen, welcher eine neue kritische Ausgabe des Florus unternimmt, die sein, jene zweite Klasse frei von den späteren zufälligen Verderbnissen so zu rekonstruieren, wie sie (wohl am Ende des Altertums) aus der Hand eines Grammatikers hervorging. Es müssen also neben dem Nazarianus noch andere möglichst alte Vertreter jener Klasse herbeigezogen werden. Es ist das der cod. Vossianus L. O. 14. saec. XI und Harleianus 26. 20 saec. XI—XII. In Paris befinden sich ebenfalls einige codices aus dem 13. saec."

Corrigenda:

				Scriptum est:	Scriptum oportuit:
Pag.	IV	v.	8 ab imo	syllabu	syllaba
„	„	„	7 „ „	monet	movet
„	VI	„	2 ab summo	exlibet	exhibet
„	VIII	„	22 „ „	quiu	quia
„	XI	„	5 ab imo	Cyproo	Cypro
„	XVI	„	14 „ „	erit.,	erit,
„	XVII	„	20 ab summo	scripserium	scripserim
„	XVIII	in	margine	additamen	additamentis
„	„	v.	6 ab imo	positum	posita.